

medium, professor debilitatis propriæ, supernæ pietatis exactor, testis divinæ virtutis, Judaicæ incredulitatis assertor, surge in medium, ut quos non compungit virtus tanta signorum, quos non opera tantæ salutis inclinant, vel debilitatis tantæ miseratio constringat et mitiget.

R. In medio.

Lectio IX. de Homilia, et comm. Feriæ occurrentis in Laudibus in Quadragesima : alias erit.

LECTIO IX.

Dixit homini : Extende manum tuam ; et extendit, et

restituta est manus illius. Ex-
tende manum tuam : jussione
solvitur, quæ fuerat jussione
convincta. Extende manum
tuam. Agnovit pœna judicem,
opus Deum, indulgentia prodi-
dit conditorem. Orate fratres,
ut sola synagoga tali debilitate
fuscetur, nec sit in Ecclesia,
cujus manum arefaciat cupidi-
tas, contrahat avaritia, rapina
debilitet, tenacitas ægrotam
constringat ; sed si acciderit
id ipsum, audiat Dominum et
cito eam in opere pietatis ex-
tendat, relaxet et in misericor-
dia, in eleemosynis porrigat.
Sanari nescit qui nescit pau-
peri fœnerari.

Te Deum laudamus.

Imprimatur :

L. D. A. MARECHAL, V. G. Adm.

Marianopoli, die prima februarii 1891.
